

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

8.
4

MACHAON
ECLOGA IO-
HANNIS SLEIFERI
SERVESTANI.

Scripta pijs manibus

CLARISSIMI ET VENE-
RANDI VIRI DOMINI VITI ORTELII
VVinshemij senioris, Medicinæ ac Philosophiæ Doctoris,
Græcæ linguæ Professoris in inçlyta Academia VViteber-
genſi: ad Conſultiſſimum uirum Dominum VITVM
ORTELIVM, I. V. Doctorem, ac Professo-
rem ordinarium in eadem Academia.

Author ad lectorem.

Conſule pauca boni Tyronis carmina Lector,
Poſt miles factus ſplendidiora feret.

VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich &
Antonius Schöne.

ANNO

M. D. LXX.

ε.

CLARISSIMO ATQUE IVRE
CONSULTISSIMO VIRO D. DOCTO
RI VITO ORTELIO, PROFESSORI PVBLICO ET
ordinario in celebri Academia VVitebergensi, Præces
ptori suo plurimum colendo, Iohannes Sleiferus
Seruastianus Iurium studiosus
S. D. P.

*C*ultor & interpres Latij non vltime Iuris,
Atq; in Saxonico pars memoranda foro:
Tu quamuis varia curarum mole graueris,
Dum scribis trepidi iura seuera fori:
Non tamen hæc spernes mea rustica carmina spero,
Quæ memorant patris funera moesta tui.
Cuius honos, cuius nomen super æthera notum
Peruolat, immensi solis vtramq; domum.
Ille licet cœli gaudens versetur in hortis,
Inq; noua vitam luce beatus agat:
Funeris extremum tamen instauramus honorem,
Virtutis pereant ne monumenta suæ.
Cum titulis aufert erecta sepulcra vetustas,
Corporis exuuiæ, ceu rosa verna, ruunt.
Ætate argentum teritur, consumitur aurum:
Euitant auidos carmina sola rogos,
At tu siste graues luctus celeberrime Doctor,
Opponens lacrymis fortia corda tuis.
Est res iusta quidem caros deflere parentes
Debet at in cunctis rebus adesse modus.

Parca

MACHAON ECLOGA
INTERLOCUTORES.

Mœris, Amyntas, Aegon.

Dic age tu dilecte loco mihi fratris Amynta,
Cur solus viridi recubas proiectus in umbra?
Atq; graui lacrymans ducis suspiria luctu?
Hic ubi flauentes exæstuat Albis arenas
Albis aquis, Albis Ducibus, bello inclytus Albis
Spumifer & veterem fluuio circumfluit urbem
Qua fouet Aonias celebris Viteberga Camœnas.
Cur palles? cur ore tuo rubor iste recessit,
Quem nuper (memini) brumali tempore habebas?
Phyllidis in laudes Fagi sub frondibus altis
Quando leui tenerum faciebas carmen auena.
Cur tibi circundat nunc fimbria pulla galerum?
Quæ te cura premit? quæ sors te dura fatigat?
Dicas, fors releuem tanta de mole dolorum,
Consilij non pauper ero pauper licet auri.

AMYN. Desine Mœri mei causam perquirere luctus,
Vix tolles etiam si magnus Iuppiter esses,
Quod me sollicitum facit immedicabile damnum.

MOER. Desine tu tristi nimis indulgere querelæ,
Nec vereare tuo curas aperire sodali,
Quem rebus dubijs dilectum semper habebas,
Sat iam fudisti lacrymarum flumina, sat iam
Tristitia maduere genæ, tu perfice cœptum.

AMYN. Cum me sollicites causas aperire dolorum,

Expe

Expeditam paucis atq; ordine singula pandam
In iucunda licet mihi sint & acerba relatu.

Incipe, sed nobis ne fortè loquentibus æstas
Sit grauis, huic ambo gelidæ succedimus vmbrae,
Qua vario florens se vestit cespite tellus,
Et species surgunt herbarum mille colorum.

MOER.

Eloquar an sileam? nostri pars altera cordis
Carior his oculis, vita mihi carior ipsa

AMYN.

Occidit infesta sublatus morte MACHAON,
Heu desiderium nobis quam triste relinquens,
Scilicet hoc nobis si mens non læua fuisset.

In cælo tristes (memini) prædicere stellas,
Quas vidi infaustis nuper concurrere telis.

Atq; sinistra caua prædixit ab Ilice Bubo
Fædo funereos promens de gutture cantus.

Hinc ego nunc crebris quatio singultibus inum
Pectus, anhelantemq; animam faucesq; rigentes.

Hinc facies pallet cutis & vix ossibus hæret
Mæror edax animi vires & corporis aufert.

Hinc quoq; nunc cingit mihi fimbria pulla galerum.

Quid dicis? cecidit properata morte Machaon,
Sæpe fuit dubijs qui portus & anchora rebus
Et fuit Albiaca Doctor præclarus in vrbe.

MOER.

Ille est cui dederat multas Tritonia dotes
Qui numerare volet messis numerabit aristas,
Et cæli stellas, & ponti in gurgite pisces.

AMYN.

Nec fuit hoc Medicis rebus præstantior alter

A 3 Palmam

Palmam huic Pœonia tribuisset in arte Galenus,
Inde Dioscorides, præstans Auicenna, Philippus,
Magnus Aristoteles, diuinus Plato, Serenus
Hyppocrates, Celsus, Macer, Chiron, Theophrastus,
Thessalus, Empedocles, Critias, Egetina Valensq̃.
Qui tamen insignes nec non super æthera noti
Extabant Medici supera his dum vita manebat.
O utinam nostris modò nunc superesset in oris.
Hoc duce Pœonias didicissem sedulus arteis.
Herbarum vires, conspirantesq̃ medelas
Fatalesq̃ ignes cœli variosq̃ meatus
Defectus Solis varios, Lunæq̃ labores,
Sed nunc vana meam delusit opinio mentem.
Pastores quoniam nos hac in valle reliquit,
Elysiumq̃ nemus colit & cœlestia regna.

MOER. Cum fuerit medica tam clarus in arte Machaon,
Cur se non iuuat? sibi cur non profuit ipsi?
Atq̃ salutiferas herbas quæsiuit in hortis?
Causam scire libet, precor hanc expone sodalis.

AMYN. Me nimium tentas nimium scrutaris amice.
Ast ego me facilem quò dem votisq̃ tibiq̃
Respondebo tuis versu sermonibus vno:
Pallida mors cunctas medicinæ despicit arteis.
Ac (nescis) æquo pede pulsat tecta potentum
Regibus haud parcat, nec tristes curat egenos,
Cuncta metit, precio nec vi mors frangitur vlla,
Vt vulgata docent antiqui carmina Fauni,

Quæ

Quæ Dryades nostræq; canunt per rura Napææ.

Cedo libens, contra crudelis spicula mortis
Nil medicina valet nec quicquam proficit usus,
Sed tu si quid habes tenui sub arundine carmen,
Quod nostri referat properatum funus amici,

Incipe nate bonis auibus, tibi dexter Apollo
Spirat, & Aoniæ veniunt ad pleetra sorores,
Incipe nec mora sit venit en quoq; rusticus Ægon

Ille sodalitijs pars Ægon tertia nostri:

Et parere decet monitis & grata monentur,
Namq; fuit dignus Pastorum cura Machaon,
Quem Phæbus caneret, tum carminis autor Apollo.

Sed nos vicini ne turbent murmura fluctus
Sic placet, hinc vernis quæ rident floribus horti

Ibimus, hic teneros depascet Tityrus agnos,
Interea alterna resonabit carmen auena.

Tardus ad hæc quanq; campestria carmina veni,

Et mecum tenuem porto duramq; cicutam,

Si tamen in sylvis didici quod manibus istis

Conuenit, id totum functi tribnatur honori.

At tibi maiores cum sint in carmine vires

Ingenij primus nervos tentabis Amynta:

Edite Leucoreæ lugubria Carmina Musæ,

Occubuit magnus Pastorum cura Machaon,

Cuius ad immensum transcendit gloria mundum

Venit & ad summos mitissima numina Diuos.

Testor Hamadryadum cætus, & Naidas, omnes

Testor Hamadryadum cætus, & Naidas, omnes

MOER.

AMYN.

ÆGON.

AMYN.

ÆGON.
Nympharum Dominas Charites, florumq; Napeas
Gorgoneos fontes, latices Aganippidos Undæ,
Nec non Pastorum faciles bona numina Divos
Sylvanos, Satyrosq; leues, Faunosq; salaces.

ÆGON. Edite Leucoreæ lugubria Carmina Musæ
Occidit Aonidum, cura ignis vita, Dearum
Cui iubar Aonij fontis dedit inclyta Pallas,
Morbis infectum quam sæpe audiuit ouile,
Pharmaca Apollinea felix commiscuit arte
E stabulisq; luem discedere iussit atrocem.
Nunc flauus Tubarus cui vitæ præbuit ortum,
Mortuus inter oues, en monte quiescit in Albo.

AMYN. Edite Leucoreæ lugubria Carmina Musæ,
Tuq; fleas Helicon lacrymarum flumina fundas,
Non tibi donec eris tantus nascetur alumnus,
Quantus erat præstans virtutis laude Machaon.

ÆGON. Edite Leucoreæ lugubria Carmina Musæ,
Heu cecidit vestri laus indelebilis agri,
Facta dies gelidæ longissima tempora brumæ,
Æstiuam spacio lucem superauerit ante,
Ante æstate niues, hyemali tempore fruges,
Arboribus pisces, & poma legentur in undis,
Vel prius à Zephyro Titan se vertet ad Eurum,
Retrogradog; suos deducet in ordine currus,
Quant nostro illius labatur pectore vultus.

MOER. Edite Leucoreæ lugubria Carmina Musæ,
Et sacro mecum cineri superaddite Carmen,
Spargite

Spargite odoratos, formoso pollice, flores,
Narcissos, violas, & odoriferos Hiacynthos
Balsama, coriciumq; crocum, myrrhamq; comantem
Spargite, & in viridi iuxta sic scribite Fago:
Pastorum decus & præclara Corona Machaon
Hic cubat, in medijs exultat spiritus astris.

Sistite Leucoreæ lugubria Carmina Musæ,
Ætherea vitam nunc ducit in arce Machaon,
Cunctaq; contemnit quæ latus possidet orbis,
Ac veteres inter cœtus, animosq; piorum
Spiritus exultat liber, fruiturq; perenni
Læticia, æternisq; bonis discrimina pensat.
Ergo Mœri graues quæso deponere labores,
Et depelle tuas ista medicamine Curas,
Ille licet moriens vitales liquerit auras,
Sed tamen absentem rursus cernemus amicum,
Saluificam Christus cum nos deducet in aulam,
Quæ rosa luxuriens dulci spiramine surgit,
Felicisq; patent animarum templa recessus
Pax vbi, læticiæ comes, & sincera voluntas
Perpetuas ducunt æterna per arua choreas.

AMYN.

Altera post istam defunctis vita redibit
Qua nos amissos rursus cernemus amicos?

MOER.

Sic est: hos fragiles cum deseret halitus artus,
Et tuba per densas sonitum dabit horrida nubes
Consurgent homines cuncti de mole sepulcri,
Tunc summus cœli residens super æthera Index

AMYN.

Pollutos hircos, puris secludet ab agnis,
Ac iustis vitam dabit, iniustisq; gehennam.
Hæc tu Mæri boni nunc consule cætera dicam,
Crastina Phæbæos ubi lux reparauerit ignes
Purpureoq; fores cæli reserauerit ortu,
Nunc florens propria tellus absconditur umbra
Sol ruit, & veniens vocat ad mulctralia vesper
Sume pedum, compelle gregem pecus omne recense,
Ne quis forte absens in vepribus hæreat agnus.

FINIS ECLOGÆ.

EPITAPHIUM EIVSDEM

eodem autore.

L Aus Vitebergiacæ Doctor VVinsbemijs vrbis,
Conditur ad ripas Albi secunde tuas.
Ad quas sanandi tractauit sedulus artes,
Omnigenaq; simul clarus in arte fuit.
Hic Æscclapiadæ veteres æquauit honores,
Pollens iudicio, sedulitate, fide.
Fama manet terris diuersa per oppida, tellus
Membra tenet, Mentem celsus Olympus habet.

ALIVD.

Hic recubat Medicæ Doctor VVinsbemijs artis,
Flete nouem Musæ tres Charitesq; simul.
Quæ prius ipse sua scrutari mente solebat,
Lucida sub pedibus conspicit astra suis.

Aliud

ALIVD IN EIVSDEM OBI
tum, Georgius Ostermarius Coronensis Trans
sylvanus, Poëta & Musicus ce
leberrimus.

A Deste ô Charites, piæq; Musæ
Omnes delitiæ tenete frontem
Molles hinc procul exulent cachinni
Locos, læticiamq; proh finentes
Mœstis vocibus obstrepamus omnes,
Eheu Vvinshemius senex Machaon
Musarum decus, atq; litterarum
Bonarum, decus omnium lepôrum
Artis laus Medicæ, salus Latinæ
Nec non Cecropiæ salus Camœnæ.
Extinctus iacet hoc piè sepultus
Post fatum tumulo, integram suprema
Qui mentem supra astra iam beatus
Inq; ipsis genibus Dei locavit:
At terris titulos sacros, bonamq;
Famam in postera secla comparavit.

F I N I S.



ALIBI IN EIVSDEM
tam Georgii Vrbani Comiti
Plum, Pota & Hispani
lebrum.

A Deo o Chares, pax
Omnes delicta tenet in ordine
Molles hinc procul exant, cada
Iocos iusticiae proli facient
Molles vocibus obsequantur omnes
Eben V vrbanius tenet Maschaon
Mulanus deos, et litterum
Bonitatis deus omnium sepiorum
Arts ius Medet, salus I. atius
Nec non Cerepiss salus Camoer,
Exingens iacet hoc pie sepulchris
Post salum inuulo, integram iustitiam
Qui mentem iuris alia iam beatus
Iudipile gentibus Dei locant:
At terras titulos sacros, bonamque
Faram in postera secla comparant

F I N I S



[Faint, illegible handwritten text in the left margin]



Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





MACHAON
ECLOGA IO-
HANNIS SLEIFERI
SERVESTANI.
Scripta pijs manibus
CLARISSIMI ET VENE-
RANDI VIRI DOMINI VITI ORTELII
VVinshemij senioris, Medicinæ ac Philosophiæ Doctoris,
Græcæ linguæ Professoris in inçlyta Academia VViteber-
gensi: ad Consultissimum uirum Dominum VITVM
ORTELIVM, I. V. Doctorem, ac Professo-
rem ordinarium in eadem Academia.
Author ad lectorem.
Consule pauca boni Tyronis carmina Lector,
Post miles factus splendidiora feret.
VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich &
Anthonius Schöne.
ANNO
M. D. LXX.

8.
4

